

Y
22665

22665 V.2.e.2 in f.

AUGUSTINUS

Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Labacensis,

SS. Theologiæ Doctor, S. C. R. Apostolicæ Majestatis

Consiliarius aulicus & Status

intimus actualis.

Universo Venerabili Clero Dioecesano Salutem &
Benedictionem.

Ut ab omnibus hominibus Deo fideliter ferviatur; ut omnes, cujus status & conditionis sint, justum, rectum, promissis datis firmiter inharentem agendi modum servant; ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit (Rom. 13. v. 1.) non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam (ibi v. 5); ut imprimis promissis sub invocatione divini nominis datis invincibili animi robore insistent omnes: in id laborare, id, quantum in nobis est, divina operante gratia efficere ac firmare nostrum est, qui præcones sumus sanctæ revelationis divinæ, qui ministri sumus sanctæ ecclesiæ Jesu Christi, quæ quidem non est de hoc mundo, non mundana commoda sibi comparare studet, non mundanis se ingerit negotiis; alit verbum veritatis indefesse, oportune, importune prædicando, arguendo, obsecrando, increpando tota in id elaborat, ut justa omnium vitæ tranquillitas fervetur in mundo, & pax habeatur in terra, quam omnibus bonæ voluntatis hominibus allaturus advenit Servator divinus.

Dolenti itaque animo percipiamus oportet, dilectissimi fratres, ea, quæ de frequentati militum vexillorum suorum desertione, de contrario officiis in principem & patriam conatu statui militari subdole effugiendi, immo & de injustis aggressionibus in bona securitatemque vitæ proximorum ab his castrifugis commissis rumor adfert. Hæc perjuria, hæc perniciosas legum prævaricationes, hæc in officia erga principem & patriam infidelitatem, hæc quietem & securitatem publicam perturbantia crimina, ut quantum est in nobis, ecclesiæ ministris, impediamus, eorumque reos ad celerem conversionem perducamus, divini legislatoris præcepta, summum in principem fidelitas, fervidaque in oves nostræ curæ commissas charitas nos urget.

Quapropter, licet in vestro zelo confidam, vos & sine meo jussu malis prædictis strenue obviam fore ituros, adhortor vos tamen auctoritate quoque, quæ muneri meo inest;

imo Ut sedulo studeatis, tum ex sacro ambone, tum in sacro tribunali, tum privatis in colloquiis virilem juventutem instruere de officiis erga principem & patriam, quibus tenentur omnes vocanti principi ad arma obtemperare, & in militari statu ad principis patriæque defensionem & ordinis in patria conservationem vires suas conferre. Docete hanc juventutem diligenter, quanta sit jurisjurandi sanctitas, quanta perjurii criminis, quantum scelus, non solum officio suo defensionis publicæ sese subducere, sed & juramento præstito datam fidem violare. Docete hanc juventutem, quanta sit necessitas fundatæ pietatis, firmæ fidei, inviolatæ puritatis conscientiæ, perfectæ charitatis in milite christiano: qua fortitudine pugnare, qua sancta prudentia evitare oporteat miles christianus, ne licentia vivendi abripi se sinat ad violationem sacrarum legum, quibus omnium fidelium vita debet esse conformis. Docete eam, quam perniciofa, quantopere falsa sit opinio, quæ militem legibus morum minus arcte, ac reliquos reipublicæ status, subjectum censet; & diligenter inculcate studium devitandæ societatis malorum, quorum consortium ita animam depravat, prouti inquinatur, qui picem tetigerit. (Eccl. 13. v. 1.) Quo major vestra diligentia in docendis puerulis sanctam fidem catholicam, in efformandis animis puerulorum ad conscientiæ teneritudinem fuerit: eo firmius hærebunt in animis juvenum informationes vestræ, quibus eos ad obediendum vocanti principi, ad fidelitatem in fervendo jurejurando, ad rectam, christianoque milite dignam vivendi rationem estis hortaturi. Frequenter adolescentibus ob oculos ponite exempla heroum Machabæorum pro religione ac patria fortiter dimicantium; exempla primorum christianorum sub vexillis romanorum imperatorum fideliter fervientium, quorum nullus castra deseruit, nullus pro principe in christianos sæviente pugnare recusavit, nullus se militiæ subduxit, moriturus solum per mandata

principis, cui fidelis erat dimicans, cum castra sanctæ religionis deserere juberetur. Hæc exempla in confusionem salutarem animorum sub principe piissimo & religiosissimo viventium urgeantur. Ponantur debito cum rigore ob oculos poenæ, quibus iustissimus, sanctissimus ac veracissimus Deus afficiet illos, qui perjurii crimine se macularint. Monstretur & infaustus multiplicandorum criminum vortex, in quem facile præcipites aguntur ii, qui fugitivi, latebras quærentes, iustis vivendi mediis destituti necessariis carent ad vitam sustentandam. In colloquiis privatis, & instructionibus extra ecclesiam habitis inculcentur quoque poenæ a legislatore terreno in eos statutæ, qui se subdole subducunt conscriptioni, ut ajunt, militari, vocati non comparent, militiæ adscripti fugiunt; miseraque horum his legibus in poenam statuta sors comparetur cum sorte hominum rectorum, ac legibus obtemperantium, qui legibus ad certum nonnisi annorum numerum militiæ adstringuntur, quibusque soepe facilis via iusto ac laudabili modo ad suos revertendi aperitur.

2do. Cum vero experientia doceat, parentes propinquosque juvenum militiæ aptorum frequenter & ad capessendam fugam, & illam faciliorem reddendam coeco ex amore conferre; oportet, ut quavis data occasione hos doceatis, quantorum criminum reos se faciant simili conatu, quamque sub specie amoris sint crudeles in filios, cognatosque suos, si non hortentur, omni quo poterunt modo, ad obedientiam exhibendam, ad fidelitatem præstito jurejurando servandam, et si aliquis suorum arrepta fuga ad eos venerit, verum in illum ipsum amorem ab iis exigere, ut omni modo eum ad reditum spontaneum commovere studeant, cum voluntarius reditus ad castra unica sit via, qua commissum delictum emendare, ac ipsam temporalem poenam queat reddere leviolem.

3tio. Demum monendi sunt communitatum primores de obligatione, quæ illis incumbit stricta, invigilandi, ne fugacium malefactorum machinationibus rapinæ, incendia, homicidia committantur, nec non de officio suo, malefactores ipsos, si quo modo fieri potest, reddere manibus magistratuum.

Hæc ut solerter faciatis, & ferventi ac lucida de officiis christiani instructione ad eliminanda crimina, servandamque pacem & securitatem publicam non humanis, quæ nostri officii non sunt, sed divinis mediis contribuatis, vos, fratres charissimi, exhortor, confidens, Dominum, æternæ charitatis principium, vivo semini suo vestræ vocis organo inculcato, eam, quam Apostolus depinxit vim (Hebr. 4. 12) collaturum, ut sit efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, & convertat omnium corda ad serviendum Deo in sinceritate, & ad implenda in spiritu divinæ charitatis officia cuncta, quibus reddant (Matth. 22. v. 21.) Cæsari, quæ Cæsaris sunt, Deoque, quæ Dei sunt.

Dabam in Residentia Episcopali Labaci die 6. Decembris 1821.

AUGUSTINUS

Episcopus.

030051682

